

fideli Apostolica auctoritate prohibemus. Sive enim ab Episcopis, vel Regibus, vel quibuslibet personis eas acciperint, nisi Ecclesia reddiderint, sciant se sacrilegii crimen committere, & periculum aeternæ damnationis incurrere. Præcipimus etiam, ut laici, qui Ecclesias tenent, eas aut Episcopis restituant, aut excommunicationi subjaceant. Invenimus autem & præcipimus, ut nullus in Archidiaconum vel Decanum, nisi Diaconus vel Presbyter ordinetur. Archidiaconi vero, Decani, vel Præpositi, qui infra Ordines prænominatos existunt, si inobedientes ordinari contempserint, honore suscepto priventur. Prohibemus autem, ne adolescentibus, vel infra sacros Ordines constitutis, sed qui prudentia & merito vita clarescunt, prædicti concedantur honores. Præcipimus etiam, ne conductivis Presbyteris Ecclesie committantur, & unaqueque Ecclesia, cui facultas suppetit, proprium habeat Sacerdotem.

Habetur in Decreto c. decimas 16. q. 7. Hæc omnia distinctis Synodi canonib. 7. 8. & 9. decernuntur. Concilium pariter Londoniense anni 1127. can. 4. caverat, ut nullus in Decanum nisi Presbyter, nullusque in Archidiaconum nisi Diaconus constituatur.

Can. XIII. Porro detestabilem & probrosam Divinis & humanis legibus per Scripturam in novo & veteri Testamento abdicatam, illam inquam insatiabilem fœnerarum rapacitatem damnamus, præcipientes, ut nullus Archiepiscopus, nullus Episcopus, vel cujuslibet Ordinis Abbas, seu quivis in Ordine Clero nisi cum summa cautela usurarios recipere presumat, sed in tota vita infames habeantur, & nisi respuerint, Christiana sepultura priventur.

Can. XIV. Detestabilem autem illas nudinas vel ferias, in quibus milites ex conducto convenire solent, & ad ostentationem virium suarum & audaciam temerarie congregantur, unde mortes hominum & animarum pericula sæpe proveniunt, omnino fieri interdicimus, quamvis ei poenitentia & viaticum non denegetur, Ecclesiastica tamen careat sepultura.

Iste canon infra iteratur in Concilio Lateranensi tertio sub Alexandro III. can. 20.

Can. XV. Item placuit, ut si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrit, quod in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat: & nullus Episcoporum illum presumat absolvere nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui presentetur, & ejus mandatum suscipiat. Præcipimus etiam, ut in eos, qui ad Ecclesiam vel camerarium confugerint, nullus omnino manum mittere audeat: quod si fecerit, excommunicetur.

Hoc idem ex Rhemenfi canone 13. huc derivatum fuit. Fueratque pariter decretum in Concilio Claromontano anni 1130. cui etiam præfuit hic idem Innocentius II. ut fidem facit Bernardus Guidonis in libello de Conciliis. Et habetur in Decretis 17. q. 4. c. Si quis suadente diabolo.

Can. XVI. Indubitatum est, quoniam honores Ecclesiastici sanguinis non sunt, sed meriti; & Ecclesia Dei non hereditario jure aliquem, neque secundum carnem successorem expectat, sed ad sua regimina & officiorum suorum dispensationes honestas, sapientes & religiosas personas exposcit. Propterea auctoritate prohibemus Apostolica, ne quis Ecclesias, præbendas, præposituras, capellanias, aut aliqua Ecclesiastica officia, hereditario jure valeat vendicare, aut expostulare presumat. Quod si quis improbus, aut ambitionis reus attentare presumpserit, debita pena multabitur, & postulat carebit.

8. Can. XVIII. Incendiarios eisque consilium aut auxilium scienter dantes excommunicat, & absolvi vetat, nisi prius omni damno secundum facultates suas refarcito, & adhibito juramento nunquam posthac incendia patruros. Poenitentiamque illis injungi jubetur, ut Hierosolymis, aut in Hispania in servitio Dei annum integrum permanent.

Can. XIX. Si quis autem Episcopus hoc relaxaverit, damnatum restituat: & per annum ab officio Episcopali absterneat.

Can. XXI. Presbyterorum filios (intellige illegitime natos) a sacri Altaris ministeriis removendos decernimus, nisi aut in canoniis, aut in Canonicis religiose fuerint conversati.

Can. XXII. Sane quia inter cetera unum est, quod sanctam maxime perurbat Ecclesiam, falsa videlicet poenitentia: Confratres nostros Episcopos & Presbyteros ad-

monemus, ne falsis poenitentis laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur. Falsam autem poenitentiam esse constat, cum spreto pluribus de uno solo poenitentia agitur: aut cum sic agitur de uno, ut non discatur ab alio. Unde scriptum est: Qui totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus, scilicet quantum ad vitam aeternam; sicut enim si peccatis omnibus esset involutus, ita si in uno tantum maneat, aeterna vite sanctorum non intrabit. Falsa etiam fit poenitentia, cum poenitens ab officio, vel curiali, vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nullatione pravaleat: aut si odium in corde gesserit, aut si offenso civili non satisfaciatur: aut si offendentis offensum non indulgeat; aut si arma quis contra justitiam gerat.

Habetur de poenit. dist. 5. c. 8. Similem superius annotavimus Concilii Melitani anni 1089. canonem 6. de falsis poenitentibus, ex quo hic Lateranensis iisdem fere verbis desumptus est.

9. Can. XXIII. Eos autem qui religiositatis speciem simulantes Domini Corporis & Sanguinis Sacramentum, baptismum puerorum, Sacerdotium & ceteros Ecclesiasticos ordines, & legitimarum damnant fœdera nuptiarum, tamquam hereticos ab Ecclesia Dei pellimus, & damnamus, & per potestates externas coerceri præcipimus. Desensores quoque ipsorum ejusdem damnationis vinculo innodamus.

Editus est iste canon ad reprimendam sese latius effundentem Petri de Brui heresim, cujus prava dogmata hic breviter insinuatur; sed latius exponit & refellit Petrus Cluniacensis lib. 1. epist. 1. & 2. illam vero extinctam & sepultam scdam Lutherus & Calvinus ab inferis resuscitarunt. Nec non Anabaptistæ, qui cum Petro de Brui negant parvulis infra intelligibilem ætatem baptizati posse illum prodesse baptismum, aut aliena fide posse salvari.

10. Can. XXVI. Damnat sub anathemate sanctimoniales, quæ a communi & cœnobitica vita abhorrentes, sibi privata domicilia constituunt, in quibus sub hospitalitatis velamine viros contra sacros Canones & bonos mores suscipere non erubescunt.

Can. XXVII. Simili modo prohibemus, ne sanctimoniales simul cum Canonicis vel Monachis in Ecclesia uno choro conveniant ad psallendum.

Can. XXX. Ad hæc, orationes factas a Petro Leonis, & aliis schismaticis & hereticis evacuamus, & irritas esse censemus.

Quod ipsum fuerat Gallieanæ Concilii Claromontano, & Rhemenfi, atque Stampensi paullo ante constitutum.

## CONCILIA QUÆDAM AQUENSIA

Provincia Narsonensis tum anni 1112.  
tum etiam anni 1306.

1. Nihil prohibet ex una eademque fidelia, ut est in proverbio, duos parietes dealbari. Hoc itaque loco concilia duo Aquensia comprehendendo: & quidem quod tempore posterius fuit, succincte paucisque insinuo, ut inde ad alterum gravioris momenti digrediar, licet tempore longe præcesserit. Anno a mundi salute millesimo trecentesimo sexto Novemb. mensis dies 8. Rothagnus Archiepiscopus Aquis Sextiis Provinciali Synodum habuit, eique Suffraganei Episcopi confederunt Gaufridus Vapincensis, Jacobus Sisterciensis, & Petrus Regiensis: causa convocationis hujus extitit, cum Ecclesia Metropolitana Sancto Salvatori Christo dicata, Ecclesie consensu Sancti Præcursoris Joannis Hierosolymitani, plurimum reparatione indigeret; Clerus populisque non solum Diocesis Aquensis, sed etiam comprovincialium Ecclesiarum liberalius expensas facendas ad id contribueret, cohortantibus & fatigentibus locorum Præsulibus, propositisque per omnes Dioceses quadraginta dierum indulgentiis quibuscumque fidelibus, qui poenitentes & confessi pio huic operi manus adjutrices porrexerint. Hæc plenius habentur in Archivio Archiepiscopali cum subscriptionibus & sigillis Antistitum.

Jam vero ad aliud Aquense Concilium digrediamur anni M. C. XII. cui præfuit Petrus Aquensis Archiepiscopus, interfueruntque non solum comprovinciales Episcopi, verum etiam advenæ nonnulli ex Diocesis vicinis. Locus vero Synodi, ut ipsam initio declaravit Ecclesia B. Mariæ Virginis, quæ tunc Metropolitanica erat,

## Concilia Aquensia ann. 1112. & 1306.

erat, dicta S. Maria de Sede, quæ nunc etiam vetus retinet nomen ab Episcopali sede; eique nunc famulantur religiosi Ordinis Minorum S. Francisci de Paula. Ex mutuo civilis observantia officio, quo sæpe continebatur, ut Metropolitanæ, a quibus Concilium cogebatur, vicinarum etiam provincialium Episcopos rogarent, ut sua quoque præsentia, & sapientibus monitis Synodum indictam dignarentur decorare; siebat etiam nonnumquam, ut externi Antistites ad id officii se sponte offerrent, cujusmodi permulta exempla in præfatis leguntur Conciliis. Ita evenit, ut Gibellinus Arelatenfis Metropolitanæ cum suo comprovinciali Petro Cavallicensi Episcopo isti quoque Synodo interfuerit. Deserat jam pridem illa Ecclesia Arelatenfis præfca in provincias Narbonenses & Alpium maritimarum jurisdictione, neque unius Metropolitanæ præfca Metropolitanæ dignitas aliunde quam ex mutua inter eos & spontanea demissione ac observantia dimetebatur. Sic enim in Concilio Epauensi ann. 517. præfedit Avitus Viennensis eique affidet & subscribit Viventius Lugdunensis. Similiter in Concilio Aurelianensi III. ann. 538. præfedit Lupus Lugdunensis, eique proximus affidet & subscribit Pantagathus Viennensis. Item in Aurelianensi V. ann. 549. Sacerdos Lugdunensis primus subscribit, deinde Aurelianus Arelatenfis, tertius Elychius Viennensis. Porro in Concilio Lugdun. II. ann. 567. primus subscribit Philippus Viennensis, secundo loco Nicetius Lugdunensis. At in Concilio Lugdun. III. ann. 583. prima subscriptio est Prisci Lugdunensis, secunda Evantii Viennensis. In Valentino II. ann. 584. primus subscribit Sapaudus Arelatenfis, secundus Priscus Lugdunensis, tertius Evantius Viennensis. In Matifconensi II. anni 585. præfedit priorque subscribit Priscus Lugdun. dictus in præfatione Patriarcha, subsequitur Evantius Viennensis; tum Prætextatus Rothomagensis. At in Concilio Mantalensi ann. 879. subscribitur hoc ordine: Othramus Archiepiscopus Viennensis, Aurelianus Archiepiscopus Lugdunensis; Teutranus Archiepiscopus Tarantasiensis; Robertus Archiepiscopus Aquensis. Ad eisdem aliisque Metropolitanis cum Archiepiscoporum denominatione frequentes scribit litteras Joannes Papa VIII. quæ denominatio in Occidentalibus Ecclesiis fuerat antea inusitata.

2. Can. I. Anno Incarnationis Domini M. C. XII. præfidente Domino Petro Archiepiscopo Aquensi, una cum Leodegario Episcopo Aptensi, Geraldo Cisterciensi, Fulcone Præposito, Hugone Archidiacono, Petro & Geraldo Archiepiscopis, presentibus fratribus Presbyteris, Monachis totius Archiepiscopatus, celebrata est Synodus Aquis Sextiis in Ecclesia B. Mariæ; in qua communi consilio, sequendo regulas SS. Patrum, definitum ac constitutum est, quatenus reddituum omnium Ecclesiarum totius Archiepiscopatus, omnibus annis Aquensis Ecclesia recipiat eam quartam partem, quæ ad proprium jus Archiepiscopi jure Canonico pertinet.

Neminem latent constitutiones de distribuendis in quatuor partes Ecclesie proventibus, quarum una cedat Episcopo, Secunda Clericis Ecclesie deservientibus, Tertia reparandis Ecclesiis, Quarta pauperum subsidiis. Has recenset ac observari præcipit Simplicius Papa epist. 3. cujus pars huc pertinet habetur c. de redditibus Ecclesie, 12. q. 2. Eandem præfedit quadruplicem partitionem Pontifex Gelasius epist. 9. ad Episcopos Lucania cap. 27. ubi simul cum redditibus comprehendit pariter quotidianas fidelium oblationes, dicens: Quatuor autem ram de redditu, quæ de oblatione fidelium, prout cujuslibet Ecclesie facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, (nimirum a prædecessore Simplicio) convenit fieri portiones. Quarum si una Pontificis, altera Clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda. Eandem quadripartitam distributionem feri edicunt Carolus Magn. & Ludovicus Pius lib. 7. Capitularium c. 290. Primus vero iste Aquensis canon, præfente & consentiente Archiepiscopo, partem ipsi ex canonica dispositione debitam effudit in ipsam Ecclesiam, quia Petrus propriis sue patrimonialis bonis copiose provi- sus, lubens sua canonica parte cessat, fueratque ea cessio illius in gratiam Ecclesie facta in acta publica redacta anno. 1003. Visturque eadem remissio ac cessio Petri in supra memoratis capitulis Aquensis archivi, ex quibus istud quoque Concilium depromptum est. Sed jam ad eisdem canonem 2. progrediamur.

3. Can. II. Statutum & confirmatum est, ut nullus Presbyter vel Clericus Ecclesiam regendam suscipiat sine consensu Archiepiscopi, vel Archidiaconi.

Nulla hic Vicarii generalis Episcopi, neque in antiquioribus canonibus mentio. Nondum enim sibi Vicarios Episcopi deligebant. Omniaque Vicarii generalis

officia Archidiaconi incumbabant. In Concilio tamen Salegustadiensi ann. 1022. can. 16. ita cecit: Decretis quoque sancta Synodus, ut nullus Romanus nisi cum licentia sui Episcopi, vel ejus Vicarii. De consensu Episcopi circa regimina Ecclesiarum necessaria, sapientissime decernit Concilium Lateranense I. sub Callisto II. can. 7. Nullus omnino Archidiaconus, aut Archiepiscopus, aut Præpositus, aut Decanus animarum curam vel præbendas Ecclesie sine iudicio, vel consensu Episcopi alicui tribuat. Immo sicut sanctis canonibus constitutum est, cura & rerum Ecclesiasticarum dispensatio in Episcopi iudicio & potestate permaneat. Si quis vero contra hæc facere, aut potestatem ad Episcopum pertinentem sibi vendicare presumpserit, ab Ecclesia liminibus arceatur. S. Papa Gregorius statuerat similiter: Si quis venerit contra decretum Episcopi, ab Ecclesia abiciatur. Allegatur in c. si quis, de majorit. & obed.

Can. III. Statutum & iudicatum est, ut nullus Clericus alterius Episcopatus ordinatus, vel ordinandus, a quibus Ordinibus in Ecclesia Aquensi abiciatur absque litteris sui proprii Episcopi, sicut in canone continetur.

Nulla usque adeo frequens est inter sacros Canones constitutio ac ista: circa quam possent absque hyperbolica locutione centum circiter canones allegari, præcipue vero sunt auctoritatis tres Nicæna Synodi cap. 15. 16. 17. districte vetantes alienum clericum suscipere; vel etiam ordinare citra proprii ejus Episcopi litteras. Eadem iteratur prohibitio canonibus Sardicenis 16. 18. 19. & Apostolorum canonibus 15. 16. maxime vero 34. Prætereaque Carthaginensis Concilii I. sub Julio Papa c. 5. Et Trident. Concilio (ut aliqua innumera interfecta omittam) sess. 23. c. 16. Prosequitur vero idem Aquensis can. 3. hanc constitutionem, quamvis ad omnium Ecclesiarum, secundum canonum decreta, iura pertineat; nullus tamen Dominus Archiepiscopus post eam cum aliqua persona ab Aquensi Ecclesia divellat; quod si faceret, officii sui periculum pertimescat. Tale hoc additamentum uris ac intentus apponi postulasse verisimile est Suffraganeos, metuentes ne (quod alias fortasse evenerat) aliquis Archiepiscopus quasi jure Metropolitanæ hoc deinceps attentaret in subditis comprovincialium Antistitum.

5. Can. IV. Si quis in solvenda quarta parte magis inobediens extiterit, post tertiam admonitionem officio suspendatur. Si vero post quadraginta dies in contumacia permanserit, ut raptor & sacrilegus ab omni Ordine deponatur. Ecclesia etiam, in quibus hæc injuria facta fuerit, Divinis careant Officiis.

Hoc est, pertinax ille recusator aditu Ecclesie prohibeatur: non enim de Ecclesia interdicens ullus est sermo, vel justa causa; nisi quando ipsa Ecclesia debet illud ipsum jus Episcopo, ejusque solutionem obstinate recusat. Est enim duplex Quarta Canonica secundum Canonistas; una quæ debetur Ecclesie Parochiali ex his bonis quæ Parochiani legant, sive relinquunt vel offerunt ratione funeris, cum quis alicubi extra Parochiam elegit sepulturam, c. cum super, & c. certificari de sepult. & vocatur Quarta Parochialis. Altera quæ dicitur Quarta Episcopalis, debetur ab Ecclesiis Episcopo ex omnibus bonis, quæ ipsi Ecclesiis relinquuntur & obveniunt: de qua tractat Glossa in c. officii & c. requisiti, & c. ult. de test. Debetur autem Episcopo tum ex omnibus, quæ ipsi Parochialibus Ecclesiis legantur, sive ex decimis, sive ex oblationibus, c. de quarta, de præscription. c. concessa, 12. q. 2. de his, 10. q. 1. Item a quibuscumque Ecclesiis in Diocesi constitutis non exemptis, debetur Episcopo Cathedralicum seu Synodaticum, c. conquerente, de offic. jud. ordin.

6. Petrus iste ante novennium celebrationis hujusce Concilii Pallium a Paschali Papa II. susceperat: cujus hæc de re visitur rescriptum eodem in Archivio lib. inscripto, Concordantia, his verbis: Paschalis servus servorum Dei venerabili fratri Petro Aquensi Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem. Apostolica sedis dignitas exigit sua cuique jura servare, & sic honoris a Domino constituti privilegium custodire, ut fratri dignis honoris consortium non negetur. Idcirco venerabilis Petre Aquensis Archiepiscopo fraternitati tue iustique successoribus confirmamus, quicquid Parochie, vel Metropolitanæ, vel Episcopatus jure ad Aquensem noscitur Ecclesiam pertinere. Pallium præterea fraternitati tue plenitudinem videlicet Pontificii officii & Apostolicæ Sedis liberaliter concedimus, quo te intra Ecclesiam tantum ad Missarum solemniam, subscriptis diebus induendum, id est Nativitatis D. N. JESU Christi, Epiphaniæ, Hyppapanton, Cæna Domini, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, tribusque solemnitatibus B. M. Virginis, in festivi-